Episcopus Kyoviensis

Sluzski franc. Hieron: Architecta gloriae et honoris ascia.

ARCHITECTA GLORIÆ & HONORIS ASCIA.

DVM
ILLUSTRISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS, & REVERENDISSIMUS DOMINUS,

D. JOANNES TARŁO,

Comes in Czekárzowice,
DEI, & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ
EPISCOPUS KIIOVIENSIS.
IN ECCLESIA ARCHIPRESBYTERALI
Beatæ MARIÆ Virginis in Circulo Cracov.
Assistente celeberrimo concursu,
solenni ritu consecraretur:

A

M. FRANCISCO HIERONYMO PLVCINSKI,
In Alma Vniversitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore, Collega Majore, Regio & Cursus Vladislaviani Philosophici Professore, Ecclesiarum, Cathedr: Kijoviensis Canonico, Collegiatæ Crac: S. ANNÆ Archidiacono, in eadem Collegiata Festorum Salvatoris & B. M. Virginis Ordinario Concionatore, Parochialis in Łętkowice Curato.

è Voto Almæ Universitatis Cracoviensis
Venerabundo Cultu

CELEBRATA.

Anno Authoris Salutis Humanæ, 1719. Die 23. Mensis Aprilis.

CRACOVIÆ,
Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi & Rndissimi Domini Episcopi Crac: Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novodvorscianarum Ordinarij Chalcographi.

In Gentilitium Insigne Illustrissimi Excellentissimi, & Reverendissimi Dñi.



I.

Splendida TARŁONVM, *fulgens candore* BIPENNIS,
Candorem Patriæ, signat inesse Viris.

II.

Celsa Domus, gestas erectam quando SECVRIM
Communi prostas, invigilasq; bono.

III.

Exporrectam Aciem præsentans ASCIA *stricta,*
Intentat Patrijs, hostibus interitum.

PANEGYRICUS.

AD sonum magnifica admirandaq; simul architectantis *Asciæ Tuæ* opera, ut attentissima pariterq; Venerabunda assurgit Polonia; ita, quæ ad Sacra Divæ Fidei dogmata, suas tota non erigit aures, adhuc omnibus non purgata erroribus Kijovia, an ingentis splendoris, in sua truculentia recreata serenitate, plaudere; an armorum majestate perterrita, ad sui Antistitis, qui non minùs Armis Patrijs, quàm Pietate munitus, illa in Cathedra, Senatorioq; subsellio collocaris, Pedum pedesq; procumbere debeat? ipsa secum meditatur. *Præsul Illustrissime.* Habet Gens illa Rutheno-Schismatica quid sibi gratuletur, & quid timeat, habet ô Magne *Præsul!* gratulari equidem Te, tantum sibi debet Pontificem, pium videlicet, justum, sapientem, gravitate morum, ac summarum dotum multo apparatu conspicuum, sed & quid timendum sit illi; sentit, advertit. Quoties mehercule, placida lux exoritur, res quidem universæ gaudent, & veluti spiritu quodam animatæ vigorem assumunt, sed tenebræ intereunt, ferreq; non valentes splendorem, passu insensibili ad nihilum properant. Lucem Armorum Tuorum fulgentissimam, nox illa Schismatis atra reveretur, quandoquidem *Antistes Pijssime,* hoc singulare menti Tuæ altissimæ hæret, quomodo errorum infames um-

bras diſpellere, & Orthodoxæ Fidei ſalutare ſerenum, cunctis mundi partibus invehere. Ideò de Tuo Capite primis quidem digno Infulis, cogitavit Summum Eccleſiæ Caput CLEMENS XI, quomodo illud, unà cum meritis, quæ Diæceſim Cracovienſem implent, per Poloniam extenduntur, Romam attingunt, coronare; & cùm nil Te dignius, præter Tiaras Pontificias viderit, hoc itaq; Coronamentum, Sacro Vertici Tuo imponi voluit. Meruiſti nempè Virtute Tuâ, quâ, mereri pulchriùs quàm habere honores, cenſes, ut vel in Latio Te Polonum Patritium Sacri Albani colles ad altiora honorum attollerent. Perſpecta eſt invicta animi Tui fortitudo & Invictiſſimo AVGVSTO II. Poloniarum Regi fortunatiſſimo, qui parem Te tanto muneri Atlantem videns, Cathedræ huic optimum providit Antiſtitem. Sereniſſimi hujus Principis pro defenſione Fidei & Patriæ diſtricti mucrones, noverunt TARŁOVIANAM *Aſciam*, Aris & Curulibus, acumine ſuo profuturam! quare & Aris Divorum, & Regni Curulibus, eandem præficiunt. Nec immeritò: ut enim nullam unquam admittit illa rubiginem, ſed toti Sarmatico Orbi ſplendidiſſima nitet; ita quoq; honorum inſigne decus, ſi quam illi tribuit venuſtatem, recipit ab illa refertq;. Accipit *Te Præſule*, novam Majeſtatis faciem Kijovienſis Cathedra, quam caſu fatalis ſortis per ſublatum è vivis *Illuſtriſſimum & Rndiſſimum olim* MATHIAM *de Hertzberge* ARCEMBERSKI Anteceſſorem Tuum amiſerat. Everſa mortalitatis violentiâ Diæceſis illius Fortuna, quâtacunq; in Gentilitio *Abaco* defuncti Præſulis creſce-

ſcere cæperat, per Architectam laudabilium operum Tuorum *Aſciam* aſſurgit in altum ſerenata: lugubri ſquallore tecta, ex amiſſo partim Sponſo Antiſtite Eccleſia illa, partim ex circumſtantibus & illudentibus ei perfidis agminibus erat: Tu Sacris Pontificijs ornatus paludamentis, riſum feciſti ei ô *Præſul*! ut in mille gaudia & plauſus reſolvi videatur. Et quidni plaudere debeat? lætamq; circumferre faciem, ad ſolennem Tui in *Sacrum Antiſtitem* inaugurationem? quandoquidem ipſa favent Aſtra, temporumq; curſus, amœniori revolutione fauſtiſſimæ Conſecrationi Tuæ famulantur. Fulgor nempe *Aſciæ* Veſtræ, ubi inclaruerit, gratiores dies, ſerie ad hilaritatem compoſita redeunt, Solq; ipſe pulſis novercantis brumæ nubibus, meliùs nitere videtur. Ita *Præſul Illuſtriſſime.* Suprema DEI Voluntas deſignat, approbatq; Summa in terris Poteſtas, & Auguſta Regni Majeſtas annuit, tempora non impediunt, populi plaudunt, Patria gaudet, Proceres vota fundunt, quando Tu Pontificia coronaris Tiarâ, Paſtorali armaris Pedo, & Sacris tegeris velaminibus. Quomodo in hanc Gloriæ Tuæ amplitudinem, ſtylô & calamô quantumvis tenuibus non excurrere? quomodo in publica hac lætitia, quâ cuncti exuberant, literarios comprimere plauſus? Virtutum Tuarum & præclarè geſtorum auges, omnium oculos, ora, vota, plauſus, animos in ſe convertens & alliciens, exigit; ut etiam debilior ſcribendi vis, aut dicendi inops facultas, impares tantæ moli intendat vires, apparatumq; verborum, quibus dignè magnitudinem Tui Nominis enarrare valeat, vel primis Eloquentiæ Pa-

rentibus eripiat. At parces ô *Antistes* vectigali stylo, indulgebis obstricto Tuæ *Illustrissimæ Domui* calamo, quod si audacter magis, quàm dignè honoris & Gloriæ Tuæ Celsitudinem circumscribere ambit. *Ascia* Tua Gentilitia, Gloriæ & Honoris Architecta est, quàm officiosus dum vult depingere calamus, hæret attonitus, & ubi se ad splendorem immensum *Generis Tui* vult erigere, succumbit imbellis, ac pondere depressus tantæ Gloriæ, cadere in Tui Venerationem mallet, quàm tentare quidquam in vim laudum Tuarum exarandum. Nec vanus timor levem quamvis pēnam invadit. TARŁONVM quippe Familiam paginâ comprehendere, est Vniversæ Poloniæ Familias paginâ comprehendere: quod seculorum & millenorum voluminum labor est. Qui TARŁONVM Domum ignorat, Poloniam noscat, aut qui non novit Poloniam, Domum TARŁONVM intelligat, & sic in una Domo, totum Regnum, aut in toto Regno unam Domum venerari licet. Attamen patiare partem minimam Cathedræ Tuæ, Tibi obligatum, quia Tuæ Ecclesiæ Canonicum, Architectam Honoris & Gloriæ *Asciam* Tuam, voto & nomine Almæ Regni Scholæ, sine affectata facundiæ ostentatione venerari; & si Te minùs digna continget Panegyris, Tuæ haud quidquam derogabitur magnitudini.

Nomen immortalitati intactè servandum cunctis in animo fixum perēnitate famæ, apud non interruptam seculorum seriem gaudere, etsi in id totos conatus impendebant, plurimis denegatum, solo quanquam Herculeo labore & curis ingentibus, vivam

vam gestorum suorum seriæ posteritati efformare speciem, paucis concessum est; id solùm memorandorum inimicam oblivionem effugit, quidquid Virtus in altum extulit. Stupenda Vetustatis opera, in quibus ars & Natura videbantur contendere, Pyramides, peralta mole spectabiles Colossi, triumphales Arcus, & jam sine spectatore, Orbis miracula, caput Cælo dum inferunt, tempori cedunt, in spolium, & absumptis immensis sumptibus, quam amiserunt pompam, celant in ruderibus. Prodigiosa sumptu, auro gravis Neronis domus, artificioso alluitur mari, Sylvas inanimatis pecudibus plenas circumsitas prospicit, argenteis quasi secantes àëra pennis, volucres ad nidum aut escam allicit: insuper Principis Planetæ ipso non contenta meridie diem mentitur perpetuum: at favente hac sibi fictitia luce, quomodo in profundas oblivionis & ruinæ pervenerit, non advertit. Vrbs Thebana, quæ centum jacet obruta portis, nil præter conjecturam miræ amplitudinis, reliquit Vniversæ posteritati. Ilij superba Pergama, propter solam magnificentiam, Dijs adscripta Authoribus, nec favillam superstitem, in suæ claritudinis testimonium, etiam transactis præsentavêre seculis. Tumultuoso strepitu concutiunt terras Philippi, ut nominis claritudo, vel cum terrore populorum everberet aures. Captiva multorum colla gentium ducunt Magni in triumphum *Alexandri*, ut sic in alios etiam (si dantur) Orbes traducatur victrix gloria! qvasi gloriosum sit; ab ore quoq; mancipiorum, Victorem exercituum, Domitorem Orbis inaudiri. Educunt centena millia contra infensas Græcorum

acies, coronati Principum Persarum, invia rupium acetô emolliunt, emollita dividunt, sicq; inundationem classibus, tempestatem velis ipsi faciunt: istarum tamen viam navium, in mari hoc nemo reperiet, quamvis victricium. Tantum desudatur à multis, circa honoris fabricam, tantum curarum laborisq; impenditur, in acquirenda gloria, quæ plerùmq; non vera, tam ingenti sollicitudine apprehenditur. At Tu *Præsul Illustrissime*, excessisti horum omnium Nomina, Virtute Tua: nimiò vilia sunt illa, Piorum, Magnorum, Maximorum, Felicium, Optimorum & Patrum Patriæ Vocabula, ubi gesta illorũ, quibus ista dabantur, cum Tuis Virtutibus cõparaveris; deniq; nulli honores humani, aut tam magni, qui infra Te sint, aut tam novi, qui non sint inquilini Domûs Tuæ Illustrissimæ. Avitos Tuos lares, venerandum Deorum delubrum appellare fas esto, in quibus quid magis? præterquàm seculis omnibus stupenda, à venturis imitanda temporibus semper viguit Religio, nec hucusq; vigere desinit. Gentilitia Tua *Ascia* detestabile otium exosa, circa id solum didicit occupari, quod vel Divini cultus, vel publici commodi est proficuum incremento. Decimum abhinc elabitur seculum, prout Vetus in Orbe Polono *Starzarum* ingens decus *Ascia* non versuti Myrmidonis, aut Dolopum manu in ignea Vulcani officina fabricata, sed præpotenti ipsorum Superûm dexterâ elaborata, nunquam fædam malæ fidei admisit rubiginem, præcellenti suo splendore immanes noctuas, & cæcutientes talpas (Heterodoxos intelligo) verberando, Orthodoxam Ecclesiam & carissimam Patriam,

Phæ-

Phæbeo fulgore illuminando. Ferrô paſcantur Struthiones; tempus edax rerum & invidioſa vetuſtas TARŁOVIANÆ *Aſciæ* minimè obnoxia, quò antiquiorem ſtupet, (& ideò *Starzæ* nomine appellat) eò venturis ſeculis glorioſiorem porrigit. Exercuere toties illam in ignea furentis Gradivi officina, graviores quàm Steropum, Brontumq; quia hoſtium manus, ſed ſangvine ſuo, quô toties rubebat, puriorem & ſplendidiorem effecere. Hebeſcere illa neſcit, aſt frequentiori percuſſa ictu, in excidium hoſtium exacuitur, ignes ex ſe eliciens Patriæ triumphales. Vibrata in adverſos exercitus duras caſſides, & ferreos thoraces penetrat, hoſtes cædere, fugare, proſternere didicit; omnibus metuenda, præterquàm Patriæ. Digna heroicis manibus, quod tinnitu ſuo, ære Corynthio ſvavior, aurum pondere & pretio antecellat. Hâc *Aſcià* optimè ſe noſter Lechicus munivit Septemtrio, cùm ad prima ſui cunabula Regni, *Aſciam* in præſidium ſuum, accerſijt. Non potuit Poloni Conditor celeberrimus Regni *Lechus*, adhuc rudem ac indoctam Sarmatiam excolere, paſſim horridis repletam teſquis purgare, ferocibus tantùm habitalem feris, Martiali progenie gente Polona replere, niſi ad tam præſtantiſſimum opus *Aſciæ* ope uteretur! adeò; ut nos Sarmatæ noſtri primordia Regni, æque *Lecho* Conditori, ac nidi Aquilæ noſtræ Architectæ *Aſciæ* debeamus. In ipſo ortu decreſceret, & in principijs ſuis, funeſtum ſtatim vidiſſet terminum Polonia, ni labefactatæ illius ſorti *Aſcia* ſuccurreret. Illius cardines nutare, flectiq; in ruinam cæperunt, cum deficiente *Lechi* ſobole, novi Atlas bajulator

Orbis; qui clavum orbati Principatus teneret, populumq; subjectum regeret, fato quodam & omine infelici defuerat! obviat huic malo, & labantem Patriam, in interitum trahi non permittit *Ascia*, cùm inter firmissimas cadentis Patriæ bases, inter bis senos Palatinos Dictator Toporeus supremum tenet fastigium. Magnus honor *Asciæ* erat, cùm in Lydiæ Regum manibus, pro aureo Sceptro, in Iovis Labiadei dextra, pro trisulco fulmine, in Virgineo Cælestis Astrææ pollice, pro evaginato ense tenebatur! major longè ejus gloria, cùm inter Palatinas Curules, in robustis Dictatoris Toporei manibus videbatur. Cùm *Ascia* præerat, Sarmatia decus præcipuum, & apud finitimas authoritatem gentes habebat, hostes terrore summo replebantur. Innatum erat *Asciæ* Patriam animosè defendenti, ex prostrata hostilium cadaverum strue augustum gloriæ immortalis erigere Septizonium. Aurea hac bipenni majestuosum celsi honoris sibi erexerunt Capitolium Magni in *Panigroda*, *Luknia*, *Danabora*, *Præginia* Comites *Toporei*: pleni sunt heroicis eorum factis, Historicorum fasti: horum gloriosa gesta, pervigil tanti nominis custos, fama, necdum & hactenus vasto deprædicare Orbi, desinit. Vnus *Sethigius*, seu Seciechus Cracoviensis Palatinus, ex Familia *Toporeorum* oriundus, quas laudum non meretur panegyres? Multum Sarmatia nostra debet suo imperterrito Alcidæ, Regum non minùs bellicosissimo, quàm felicissimo BOLESLAO CHABRY, qui quadragesies septies finitimarum gentiū Triumphator, non tantùm arctos Poloniæ limites victrice gladio extendit, & ferreis disterminavit

Co-

Columnis, ſed & gloriam nominis Lechiadum ampliavit! plura debet *Sieciecho* tantarum Victoriarum famoſiſſimo Authori. Nec tantarum rerum ſtupor, cujusquam attonitam invadat mentem! prudentiſſimus *Sieciechus* non priùs novit dulciſſimæ Patriæ, immortales de Victricibus Oleis erigere Obeliſcos, quàm DEO Exercituum baſilico opere magnificentiſſima extruere Sanctuaria. Clarum liberalitatis ejus exſtat monumentum Sieciechovienſe Aſcæterium, cujus cum BOLESLAO CHABRY, munificentiſſimus Fundator, major ex potiori ſui patrimonij parte Author, extiterat. Non ſola Lacæna, fæcunda Virorum genitrix dici meretur; eò quòd maſculæ Virtutis proferat Heróës; Antiquiſſima *Toporeorum* Familia, à primis ſuis cunabulis, magnorum Virorum, parens meruit nuncupari fertiliſſima; quod non effæminatos Sardanapalos, ſed duris enutritos bellis Martes, invictos Scipiones, imperterriti animi Leonidas, Patrio ſine intermiſſione proferat Regno. Viderunt antiquiora tempora, in *Zegothu*, *Novogijs*, ex Familia *Toporeorum* oriundis, Polonos Epaminondas, in *Tęczynijs* Sacri Romani Imperij Comitibus Fabios Sarmaticos, in eloqventiſſimis *Oſſolinijs* Pericles Polonos, quorum Nectarea oris rotundi Svadâ, adeò prima Orthodoxæ Fidei Capita VRBANVM VIII. Pontificem Maximum, & FERDINANDVM II. Romanorum Imperatorem, in ſui amorem provocaverat; Vt hic in coronam *Oſſolinianæ* Virtutis Ducatum in Oſſolyn, ille Principatum S. R. Imperij gratioſiſſimâ munificentiâ contulerit. Penna imbellis ſolo veneratur ſilentio (quorum nunquam

 inter-

intermoritura laus viget) religiosissimos *Zbilutas* zelô boni publici & fide illibata incomparabiles *Wlostovios* Comites Xiąznenses, æquè invicta animi fortitudine, ac singulari pietate celebrandos *Korycinios* Comites *Pilecios*: tantum hi amplissimæ & vetustissimæ Toporeorum Familiæ debent, quantùm Erythræo suo pretiosi uniones. Vt tenuiores amnes vasto Nerei ponto sua primordia debent, vel ut aurea Cæli stelligeri Astra, quod corusco resplendeant jubare, & cæcas illuminant noctes, fonti luminis, auratis radianti comis Phæbo obligantur; ita Vetustissima TARŁONVM Domus, quod Sacras Tiaras, Trabeas Senatorias, Ducales Clavas, cæteraq; magnorum honorum insignia, in perenne sui collecta habeat ornamentũ, *Ottoni* ut suo fonti & primo principio tenetur. Felicissimus hic Archimedes Gentilitiæ suæ *Asciæ*, veriùs ingẽtium laudabilium operum adminiculô, adeò augustam TARŁONVM Domum effecit, ut illam omnium Fascium commune quoddam receptaculum, imò Templum Honoris visendum publico Soli exhiberet. Poloni Authore Regni *Lecho* regnãte, Gnesna, candidæ Sarmatarum Aquilæ cunas ex se præbuit; *Czekarzewice* ab *Ottone* inventæ nidi nomine, TARŁONVM antiquissimam Prosapiam sinu suo complectentis, & enutrientis nomine insigniri merẽtur; ex quibus cara Ducum soboles, veri Aquilæ Polonæ pulli, in publicum Solem evolârunt. Satis fæcundum fuit solum, quòd ferream Virorum segetem, intra exigui momenta temporis, ex projecto Cadmi semine progenuit, fæcundiora & feliciora *Czekarzewiciensia* Arva, quæ aureos Viros, tot Sacra

Ca-

Capita, in æviternum Ecclesiæ CHRISTI decus, tot galeatas frontes ad terrorem hostium, ac indeficiens Patriæ carissimæ subsidium protulerunt. Verùm eheu volubilem, continuò sese immutantis Prothei vel Vertumni instar fortunæ vicissitudinem! quæ Viris emeritis invida, in eos furoris sui malèsani jacit fulmina, quos in Apogæo honoris, Virtus & laudatissima facta collocavêre. Excidit de gratia sui Regis *Otto*, qui omnium affectus meruerat; bonorum patitur diminutionem, qui augmentum boni publici semper promovit, semper curavit. Caliginosæ hæ nubes Circæa iniquioris fortunæ fabricatæ manu, non obsunt animoso *Ottoni*, & licèt hunc Solem, Patrio semper proficuum Solo, ante faciem Regis obtenebrent, tamen non extingvunt. Rumpuntur hæ à severiori fortuna paratæ insidiæ, vulnera, ipsa sanat mora, redit in propria *Otto* cũ Posteri ejus magni vestigia premẽtes Prædecessoris, pristinos honores, bona *Czekarzevice* imò his majus, cor amabile & propensum animum VLADISLAI Regis hæreditant. Ita certè esse debuit. Luctari priùs debuerat cum fortuna *Otto*, antequàm eam amicam sibi redderet! casibus stare, mortalibus est innatum: ut nunquam purpureum Ver Orbi advenire videmus, nisi gelida præcedente bruma; ita magnarum Familiarum incrementa, non solent esse absq; ardua malignantium fatorum acerbitate. ZAKLIKA TARŁO cùm in gratiosum Iagellonis Regis suscipitur sinum, *Czekarzoviensibus* hæres legitimus bonis restituitur. Phæben ille imitatus Cælestem: quippe sicut hæc Sole apud Tethym suam commorante, minutiori-

bus præſidet aſtris; ita *Ottone* mortuo, ZAKLIKA dum ad gratiam Principis ſui redit, TARŁONES dilecta Poli Sarmatici Sidera accendit. Non ſic Theſeus Pirithoum, Macedo Epheſtionem, ut Jagello Rex adamavit ZAKLIKAM, cum eo momenta vitæ ducere, illi arcana Regii ſui pectoris adaperire, ſaluberrima conſilia, arduo tempeſtuoſi belli tempore, ceu ab Oraculo petere, non moris, ſed cujuſdam inſtituti habuit. Caput Podoliæ, Divina Manu munitum propugnaculum, rupes ſaxea, ad quam toties barbaricæ fracta ſunt cornua Lunæ, Camenecum, à rebelli Lithavæ gentis poſſidebatur manu, Rex æquè clementiſſimus ac prudentiſſimus ut recalcitrantes animos, non tam potenti vi armorum, quàm dulci paterni amoris illiciô, in obſeqvium Majeſtati ſuæ pertraxiſſet, Cyneam Sarmaticum, ZAKLIKAM mittit fæcialem. Suſcipitur ille à Præfecto Vrbis; ſed ô perfidiam! & fædo carcere mancipatur, contra Oratorum naturam, qui ubivis & omni tempore liberi, nullas duræ ſervitutis amant compedes. Sed captivato libero Civi, carcer hic tranſijt in auguſtale honoris, ferreæ catenæ in aureum ceſſerunt monile, erepta lux Majeſtatem illi non diminuit, ſed ampliavit: utiq; adamas & in abditis terræ viſceribus, pretium & æſtimationem non amittit; & Rex Aſtrorum fulgidior tunc apparet, cùm è ſubterraneo carcere exit.

Verùmenimverò, cùm ulteriùs trepido calle purpuratos Domûs TARŁONIANÆ ingredior poſtes, in ea Pantheon quoddam venerando Deorum ſenaculo refertum adverto. Attonitam primò

mò rapiunt pupillam, animumq; tam in contemplationem, quàm in admirationem provocant, Sacris Vittis Cælo sublimata Capita. Quæ inter velut Musæus inter cæteras animas, non tam Tiarato Vertice, quàm Archipræsuleis eminentior Virtutibus exstat, PAVLVS TARŁO Archiepiscopus Leopoliensis. Roxolana Ora rarioris fortunæ sibi gratulabatur, munus, cùm PAVLVM hunc, Sapiẽtiæ gladiô armatum vidit Pastorem. Ensiferum hunc Sacrum, metuebat reviviscens toties perversi Schismatis Hydra, maluitq; Pontificijs illius accumbere plantis, quàm districtô illius Sapientiæ gladiô jugulari. Gratissimum Cælis obtulit thymiama, ad Divinas stans novus Aaron Aras STANISLAVS TARŁO Antistes Præmisliensis. Quantùm vigilantissimus Ovili suo profuerit Pastor, ingens illius probavit solicitudo. STANISLAI Præsidis & Martyris nomine præclaro gaudens, stetit pro Domo DEI fortiter zelosissimus! in exanimi divisoq; corpore suo, unionem amantem imitatus suum Patronum, abscissum à corpore Ecclesiæ Catholicæ Ruthenicum Schisma, ineffabili dexteritate & indefessa curâ, ad desideratam Vnionem pertraxit, perduxitq;. Vives in omnium cordibus & animis *Illustrissime olim & Reverendissime Dñe* MICHAEL BARTHOLOMÆE TARŁO, Episcope Posnaniensis. Non solâ sapientiâ, sed & omni pietate excultus Tuus animus, Vitam Tibi inspirabunt sempiternam. Securæ aureæ PETRI mansere *Claves*, cùm Tu MICHAEL pro DEO & Aris decertâsti. Exosculatur tantùm Præsuleam Tuam fimbriam, Vmbratilis Eloquentia, & quæ magna

Tua merita justo nequit celebrare cothurnô, profundo silentiô veneratur *Illustrissime & Reverendissime Domine* PETRE *de Czekarzowice* TARŁO, Episcope Livoniæ, Abbas Paradisiensis; Præposite Cathedralis Posnaniensis, &c. Progredere ad altiores Trabeas, fascesq; felicissimus, prodroma Virtute, Sapientia comite, præcelsis assistētibus mentis magnanimæ qualitatibus, meritis evehentibus! Verticem Tuum Sacrum, quem nunc duplex ornat Tiara, Archipræsuleæ cingant quàm citissimè, & coronent Vittæ.

A Pontificijs Tiaris ad Senatorias Trabeas, à claris unionibus Infulis, ad Triumphales Clavas, aurô intextas Chlamides, Scipiones, Caduceos, officiosa provolat penna: quæ cùm in Domo Tua *Illustrissime & Reverendissime Antistes* palmatas, pictasq; Togas, Sigilla, Vexilla, Baltheos, Coronas militares, omneq; genus Officiorum miratur, à Palatino honore, Tuos Honorios audet enumerare. Purpureæ Palatinorum Cohorti, primus anteit NEORIVS TARŁO, Palatinus Sandomiriensis. Cùm nomen legimus, Virtutis & meritorum pondus æstimare debemus: quippe nihil leve in fronte statuitur ipsa; in bello fortiores Viri, primum occupant locum! Leones Ducem Cervum non habent. Præivit ad Palatinas Curules TARŁONIBUS, passu heroico NEORIVS, qui præivit & Virtute. Omnes invenit gratias in IOANNE TARŁO, Palatino Sandomiriensi Polonia! Nomini, meritis correspondebat ille, quem prompta in rebus publicis gerendis dexteritas, inextingvibilis in Patriam amor, oris facundi ambrosia, non Lechico tantùm

Se-

Septemtrioni, ſed & vaſto Orbi commendârunt. Fertiliſſimæ plantæ non impar germen, boni Parentis optimus Filius IOANNES TARŁO, *Palatinus Sandomirienſis*, Paterni nominis & honoris, magìs paternarum hæres Virtutum, Patris poſt fata vivam effigiem in ſe geſſit, quando cum honore illius geſſit & Virtutem. Pulchrum & laudabile nimis eſt, Magnorum Aboriginum, celebre tenere Nomen, probitati illorum indiviſim conjunctum. Mutare nomen ſuum, militem Macedo jubet, quod ſolum & non Virtutem ALEXANDRI præſeferat. Scipio Major & Minor leguntur: imparitatem hanc non nomen, non Virtus, (cum æqualia in illis reperiantur) ſed temporis diverſitas, quo naſcebantur, cauſavit. Qui Parentem cum dulciſſimo Nato, Vtrumq; IOANNEM, Vtrumq; TARŁONEM, & Palatinum Sandomirienſem videret, ſolam ex tempore naſcendi inter eos inveniri diſparitatem affirmaret. A IOANNE ad PETRVM TARŁO, Lublinenſem Palatinum, Avum Tuum, *Illuſtriſsime Præſul*, velox in obſeqvium properat penna. Ad Vnum Collegium hæc Nomina ſpectant: Vnius Domini, fideles ſervos denotant. PETRVS hic ſtylô adamantino dignus, qui ferreo adverſus hoſtem Patriæ uſus, non unam vel lauream, vel auream meruit Coronam: in juventa nunquam PETRVS ſine gladio viſus, tam in Sago, quàm in Toga, probatus Patriæ Civis, Purpuram Senatoriam quam geſſit, proprijs ſibi geſtis comparavit! non priùs eam induerat, antequam hoſtili cruore intinxerat! Et benè! elegantius non poteſt dari oſtrum, illo, quod non tam piſcium, quàm barbaro-

torum hoſtium ſangvis decolorat. Inſurgentes adversùs noſtram Patriam hoſtes, PETRVM hunc Pænitentiarium agnoverunt, coram quo nefarium ſuum auſum, non tam irriguis lacrymis, quàm ſangvine ſuo toties expiaverunt. Quis calamus, laudes dignas levi exarare poteſt pagella? IOANNIS TARŁO, Palatini Sandomirienſis, Parentis Tui Digniſſimi, *Præſul Emeritiſsime*. Lucius Metellus (atteſtante Plinio) hæc maximis votis â propitijs flagitaſſe Superis narratur, primarium bellatorem eſſe, optimum Oratorem, fortiſſimum Imperatorem, excellenti honore uti, ſummâ Sapientia eſſe, dignum Senatorem haberi, liberos bonos relinquere, & clariſſimum eſſe in Civitate. Hæc præſtantiſſima optimi Civis munera, pientiſſimum hunc circumſtare Æneam quis non videt? quis non miratur? cujus in regendo prudentiam, in perſvadendo Sapientiam, in bellando dexteritatem admirata Polonia, dignum in eo & Oratorem, & bellatorem, & Senatorem venerabatur. Acerbo dolore, & nunquam juſtis lacrymis expiando, & Regnum, & Domum ſuam Illuſtriſſimam repleviſſet, nî communi fatorum lege vitæ & mundo ereptus Caſtor, hic Pollucem ſuum STANISLAVM TARŁO, Palatinum Lublinenſem, Patruum Tuum, *Antiſtes Digniſsime*, orbatæ Patriæ reliquiſſet. Illius Herculei pro Fide & Patria labores, in gentilitia *Aſcia*, ceu in terſiſſimo ſpeculo, ſatis ſplendidè enituêre. Feſtivos exercuit ſaltus *Lublinenſis Cervus*, cùm non tam albis quadrigis, quàm amantiſſimis Civium pectoribus, vectum Palatinum hunc intra Provinciam ſuam ſuſciperet. Ducit in obſeqvium

ve-

vectigalem honori suo svadam, pedissequa immortalis gloriæ centum lingvis jactabunda fama, dulcis memoriæ IOANNIS TARŁO, *Palatini Smolenscensis*, quem illibata in Patriam amoris integritas, ardens in Superos pietas, & intaminatus erga Cives candor, omnibus seculis conspicuum referunt, & licèt Vitæ illius stamina, invida Atropos præcoci rupisset fato, mortalem tamen vitam, quam immaturè adhuc eripuit, æterna perennaturi Nominis gloriâ compensavit. Vivis in amantissimo Patriæ Tuæ pectore, etsi cum acerbo dolore illius recens è vivis sublate *Illustrissime olim & Excellentissime Dñe* ADAME TARŁO, *Palatine Lublinensis*. Sepulchrales cineres Te tegere totum & obruere nequeunt, quem in Natale Solum non fucatus amor, & hactenus detegit, Civibusq; Patriæ ad invitandum revelat. Nullum publicum privatumq; consilium fuit, in quo benè Patriæ non consuleres, ubiq; & semper integritatem illius promovendo, dignitatem adaugendo, bonum commune prævidendo. Plurimi nè hoc tempestuoso tēpore furentis alicujus Æoli adversùm se exacuerent iram, sæpiùs elingvem imitabantur Atym, Tu pro Patria animosissimus Hector, & disertissimus Hypperides, quæ & quanta illi candido animo optaveris, ore expressisti. Darius tot sibi exoptabat Zopyros, quot in malo Punica, minutissima numeraverat grana, nos tot TARŁONES, majora dicam! tot Regno Patrio Cives, & tales, qualis Tu eras, optamus, ut post concatenata diuturno tempore mala, desideratam in Patrijs nostris finibus, & stabilem videamus trāquillitatem.

Hactenus primæ magnitudinis sidera, Senatum Lechicum TARŁONIANAMq; Domum, ceu stellatum exornantia Olympum, attonita mentis indagine per Palatinas Curules observabamus, nūc æmula magnitudine sua Astra, longo sibi ordine succedentes *Castellanos*, contemplemur, est necesse. Hos inter primus præradiat velut inter ignes luna minores IOANNES TARŁO, *Castellanus Radomiensis*. Eruditi Historicorum Annales desinant Pisistratum ob oris facundiam, laudibus celebrare summis, quòd Cecropiæ Vrbis incolas, sui potestate eloquij ita captivaverit & devinxerit, ut Regium illi ultrò Sceptrum & diadema pollicerentur! quo titulo? quo honore dignus? Regum præcursor gloriosus IOANNES? qui dulci oris Nectarei svada, ex Transylvania in Poloniam STEPHANVM BATOREVM *Legatus* invitavit! & non tam galeatum illius Verticem Regio cinxit diademate, manum Sceptro & Pomo gravavit, quàm ipsam Poloniam in STEPHANI Regis Nomine coronavit. Non digniùs pro Saturnio cæterisq; Dijs Cyllenius, quàm IOANNES TARŁO pro Republica Polona domi, forisq; peroravit: bene meritus de affectu coronati sui Principis, ad quem ad Regium Thronum invitandum, non solùm stylum disertæ lingvæ eloquentissimus Cynæas armavit, sed ad ejus defendendam Majestatem, heroica manu, magis heroico spiritu gladium adversùs hostes toties extendit, vibravit, explicuit. Maximi honore dignus, quòd Gentilitiâ *Asciâ* MAXIMILIANI impetum fregerit, triumphaverit. CAROLVM IOANNEM TARŁONEM, *Castellanum Vislicensem*, Hæ-

redem

redem *in Czaple & Bobrowniki*, inter cætera fastis perennibus digna egregia facta, effusa in Ecclesiam, Patriam, egenosq; liberalitas, maximè venturis deprædicabunt temporibus. Non immeritò: nulla quippe felicior est fortunæ jactura, nullum laudabilius bonorum dispendium, quàm cùm in pietatis opera, vel indigentium subsidium erogantur. Gradus Heroicarum Virtutum legite posteri, in SIGISMVNDO TARŁONE, *Belzensi Castellano*, Hærede *in Czekarzowice & Melsztyn*, in quo gradus Honorum observatis. De Sandecensi in Belzensem Castellaniam, hic favente Sortis prosperæ ope appropeæravit: meruit hæc scandere subsellia, qui in amplissima Virtutum semitâ, giganteos passus exercuerat. Necdum ex animis Civium excidit ALEXANDER TARŁO, *Castellanus Zawichostensis*, Patruus Tuus *Antistes Dignissime*; huic Virtutes aurô, Cedrôq; dignæ, æternitatem paravêre. Magnus ille Nomine, major meritis; videre Sarmatici Alcidæ Polonum occupantes Thronum, illius incorruptam erga Majestatem suam fidelitatem, Patria eximium Senatorem, Ecclesia Sancta, zelosum Divini Cultûs spectavit in eo Promotorem, hostes acerrimum Bellatorem, amici nunquam mutabilem in affectu Theseum probaverunt.

Ferream hostibus, auream Patriæ magni æstimare debet Orbis TARŁONVM *Asciam*, non suis illa, sed alienis usibus, immutabili Superûm decretô destinata, fidele semper & Regibus & Reipublicæ præstabat ministerium. Officiosam eam tot secula viderunt: quippe tot gravibus Officijs Regni oneratam. Præesse multi appetunt: TARŁO-

 NES

NES & Regno & Regibus obſeqvuntur! non ſibi vivunt, ſed Patriæ, ſed communi bono: nil magis amant, quàm annos, fortunas, vitam deniq; ipſam pro boni publici integritate immolare. Non involaſſent in manus NICOLAI TARŁO, *Cancellarij Regni*, Aquilæ Sarmaticæ; nî intemeratam ergà Regnum fidelitatem in illis irretortâ palpebrâ advertiſſent. Ingens ſplendoris auctoramentũ TARŁONVM *Aſciæ* merita invexêre, ſed Ceræ Regni magis eam illuſtravêre. Veniat alijs ex ceris tantùm teterrimus fumus, TARŁONVM Domui ex Ceris omnis emicat fulgor. Sigillô Regni Regum gratias & ſibi & alijs obſignavit CAROLVS TARŁO, Patruus Tuus, *Præſul Emeritiſsime:* ex Palatino Lublinenſi Cancellarius factus, Officium dignè accepit, digniùs geſſit. Nunquam gratiùs evolârunt Regni Aqvilæ, quàm ex manu TARŁONIS, candidum hunc Alitem benè ſemper tractãte. Quot Sigilla literis impreſſit, tot apertiſſima fidelitatis ſuæ documenta exaravit! annulô, quem geſſit, omnium affectus ſibi deſponſando. Nunquam ſapidioribus publicæ Regni Menſæ inſtruebãtur dapibus, quàm cùm Præfecturam Culinæ Regni dexterrimè STANISLAVS TARŁO geſſit, Cunctis Regni Sarmatici Ordinibus, cuncta tunc fuêre ad guſtum, cùm ipſe Præfectus ſingulis erat ad mentem. Lautè convivabatur Polonia; ad normam Tutelaris ſui STANISLAO TARŁONE, publicas dapes inſtruente: ex diviſo ſacrilego BOLESLAI *Audacis* enſe corpore ſuo, *Præſul Cracius* & Martyr, dulce quondam Cælis paravit obſonium, hic propriô, illoq; amantiſſimo corde, omnium

non

non tam appetitum, quàm affectum satiavit: eò jucundiùs Patriam suam tractavit, dùm suorum par nobilissimum Fratrum IOANNEM & MICHAELEM, in obseqvium eidem Martialibus signis consecraverat. Vide Polonia! quantùm pro fideli ministerio Antiqvissimæ TARŁONVM debeas Prosapiæ! Parum erat illi in commodum Tuum Gentilitiam manu tenere *Asciam*, aliud præterea armorum genus, Cultellum nempè procurant; hunc vidisti in heroica dextra IOANNIS TARŁO, *Incisoris Regni.* Exquisitas dapes, quibus publicæ Regni onerabãtur Mensæ, ô quoties ille dividebat! & artẽ divisionis ignorabat! benemeritus hic de Patria Civis, quoties disunitum Reipublicæ Polonæ corpus observavit, toties disjecta ejus membra, discordes animos, felici optatæ concordiæ nexu univit; velocior ad compositionem, quàm ad scissionem. Quæ Stylô Majestas requiritur? ut GABRIELEM TARŁO digna celebret Apotheosi? Cæleste hoc Nomen non humanas, sed Angelicas complectitur Virtutes: hæ cùm bonis tantùm placeant, *Bonam* quoq; *Sfortiam* Reginam Poloniæ, in sui amorem; cultum & Venerationem pellexerunt. Noluit optima hæc Imperatrix, Regiam suam Aulam, detestandis scatere vitijs, idcircò illi GABRIELEM præfecit: non potuit alibi commodiùs GABRIEL commorari, quàm in oculis *Bonæ* Principis, ut ingenuis moribus, Regios lares, in Cælum quoddam transmutaret. Credendum est gratos semper Reginam percepisse rumores, hos GABRIELE annuntiante. Nunquam decorus Cælestium Numinum Pocillator, dulcius in Deorum consessu ma-

 nu-

nu tenebat poculum, quàm NICOLAVS TARŁO, Pincerna Magni Ducatûs Lithvaniæ, Frater Tuus *Præsul Humanißime*. Lithavus Eques tanquàm de Castalio bibisset fonte, Bellerophonteo in subsidium Patriæ suæ properabat cursu! cum liberali sui Pincernæ manu ad tantum præstandum obseqvium, modò invitabatur, modò incitabatur. Effusam hujus NICOLAI probavit Polonia dextram, in subsidium dilectissimæ Patriæ, aurum de proprio ærario effundentis. Ære triplici munire Regnum exoptabat, ære proprio legiones armatas comparando. Felicissimum germen NICOLAVS dilectissimæ Patriæ aurum dare maluit, quàm avarorum consvetudine Catilinarum, aurum, vel ab ea repetere, vel expectare.

Longum Magnornm Prædecessorum Tuorùm *Præsul Dignißime*, penna referens syllabum *Illustrißimorum* quoq; *Capitaneorum*, immortalem gloriam contemplari exorditur; etiam hi ad prima Capita spectant, cùm à Capite Nomen desumant. Hucusq; perennat in memoria hominum STANISLAVS TARŁO, *Capitaneus Sochaczeviensis*: immortalem famam, egregijs meritis sibi comparavit. Non absq; dolore Vitam hanc in æternam transmutâsset, nî redivivam Virtutum suarum imaginem in CASIMIRO TARŁONE, *Capitaneo Gosczyneasi*, Fratre Tuo Germano, *Præsul Dignißime* reliquisset. Liliatum ejus Nomen, luculentum illimis conscientiæ illius testimonium, quo fuerit in Patriam, Amicos, animi sui candore, palam probavit, demonstravit. Flos hic omnium oculis placidissimus, omnium pectora in amorem svavi illicio pertrahens, in altum

tum

tum honorariæ dignitatis excrevisset Culmen, nî eum ferox Libitina præcoci ferro succidisset. Tanti post fata amarissima Viri, lacrymas de oculis sincerè amantium manantes temperavit obtutu suo, SIGISMVNDVS TARŁO, *Capitaneus Pilznensis*, Patruus Tuus, *Præsul Illustrissime*. Ter felix, beatusq; ternione filiorũ, in quibus TARŁONVM Domui singulare decus, Patrio Regno desideratum reliquit præsidium. Horum primus *Capitaneus Pilznensis* factus, legitimum se tam Paterni Honoris, quàm dotum eximiarum hæredem probavit. IOANNES & FRANCISCVS gemmeæ animæ, Patriam quàm diutissimè & felicissimè ornent, summis primarum dignitatum exornati coronamentis. Summè notandum Domui suæ paravit Honoris incrementũ, Filius Patriæ accrescens IOSEPHVS TARŁO, *Capitaneus Gosczynensis*. Nullis cedentem periculis in se exaravit Achillem, dùm in Callissiensi bello, & strenuè & gloriosè, cum adversis Castris decertavit. Leone rugiente quis non paveret! masculæ Virtutis pectus IOSEPHI, Gottica bellua mugitu suo minimè exterruit, ipsa ex præliari arena invictô animô & intrepida dexterâ Poloni istius Agamemnonis jam fugata, jam profligata. Nunquam immanis tot hostium Viscera Patriæ his anteactis infaustis dierum intervallis rodentium colluvies, res nostras Polonas olìm florentissimas defædarent, si pares Marios in defensionem firmam Regni paratissimos, plures numeraremus.

Progredere in ampliorem Eloquentiæ campum, Nomini magno devinctissima penna, cùm invicta TARŁONVM manu gestata vexilla in mediũ pro-

deunt. Venerari ea debet calamus, quæ ebrius proprio ſangvine hoſtis, in cruenta Bellonæ acie cadens pronus in terram, haud ſemel adoravit. Gelido terrore repleta hoſtium caſtra, toties pallorem induere cogebantur, quoties IOANNES TARŁO, *Vexillifer Sandomirienſis*, militare ſignum elevabat. Nunquam uberiùs probata Polonorum Virtus, in publica bellantium arena, Victrices colligebat Palmas, quàm præeunte inter hoſtiles phalanges Polono Affricano ADAMO TARŁONE, Vexillifero itidem Sandomirienſi. Fluitantia ſigni ſui militaris quoties laxabat vela, toties ad exoptatum certi triumphi promontorium, ſecurum iter indigitabat. Ingemiſcere, nefariumq; deplorare auſum debuerant terræ alliſi audaces Enceladi, hoc majeſtuoſo Iove, dextrâ ſua non Vexillum, ſed triſulcum fulmen manu tenente. Geminata gratia Roxiacæ acceſſerat terræ, cùm bini TARŁONES, ambo gratioſo IOANNIS Nomine inſigniti, Vnus poſt alterum Leopolienſis terræ Vexilla deportarent. Timuit elatum erigere cornu Odryſia Luna, his Polonis Camillis militari Signo, minas & pallorem illi incutientibus; debuit exhorreſcere Hydra illa Chriſtiani ſangvinis ſitientiſſima, TARŁONVM manum alteram Vexillô, alteram *Aſciâ* in ſui cædem paratâ, armatam videndo. Conſtantem ſibi pollicebatur fortunâ Lechia noſtra, CONSTANTINO altero NICOLAO TARŁONE, *Vexillifero Præmyslienſi*, triumphale Signum, quia ſalutari DEI in ligno vincentis charactere inſignitum, adversùs Fidei & Patriæ hoſtes, animoſâ dextrâ bajulante. Quis triumphales non expectaret palmas?

hoc

hoc præeunte Duce, cum aperto Vitæ ſuæ diſcrimine inter denſas immanium hoſtium catervas, Victrices Laureas ſolicitè quærente, obſervante. Deſinat jactare priſca ſeculorum Antiquitas, integerrimos Iuſtitiæ Cultores, Catones, Phociones. TARŁOVIANAM Domum æquitatis Areopagum appellare fas eſto: in illa Conſus, Minerva, Themis, æternum ſibi poſuêre domicilium. PAVLVM TARŁONEM, terræ Leopolienſis incorruptum Iudicem, qui ſpectavit, ex prudentia Solonem, ex æquitate Ariſtidem dicere debuit! par hoc Virtutum inæſtimabile, indiſſolubili conjunctum nexu, ſemper in eo eluxit, apparuit.

Hactenus de Divorum Sangvine natam Sobolem TARŁONES, inſignes Honorios, ſublimia dignitatum multarum occupantes ſubſelia, attonitâ ſpectabamus pupillâ, nunc Faſcium & Trabearum contemptores, diligenti mentis attonitæ oculo obſervemus. Necdum deſijt mirari Orbis, ſumma moderatione præcellẽtem animum ANDREÆ TARŁO, *in Czekarzowice & Bobrowniki*. Virum hunc omni titulo majorem, ad Purpuras Senatorias, Regum gratia pertrahebat, merita promovebant, opũ copia extollebat? effeciſſent! nî humilis de ſe ſenſus, has excelſas Curules quæ parabantur, mereri maluerit, quàm aliquando eas occupare. Pari animo fuit in contemptu Dignitatum HIERONYMVS TARŁO, emeritam ejus frontem, (quàm copioſus ſudoris imber tum reſperſerat, cùm in fertiliſſimis Poloniæ campis, copioſam Victoriæ de Scythica barbarie collegerat meſſem) Regia SIGISMVNDI II. manus, Senatorio Palatinatus San-

domirienſis detergere propoſuerat paludamento, nî oblatum honoris munus, (rara in Viris hujus ſeculi!) Virtus ſuſcipere humilitas renueret. Fabium M. Latij Principē Orbis, hi magnanimi TARŁONES imitari viſi ſunt: quemadmodùm Romanus hic Senator, cùm à ſe quinquies, & à Patre, Avo, Proavo, Majoribusq́; ſuis ſæpenumerò Conſulatum geſtum animadverteret; Filium ſuum Conſulem habere noluit: nè maximum Imperium in una Familia continuaretur! eo animo TARŁONES hi, ultrò ſeſe inſinuantes amovere à ſe Faſces? non hoſpitantem, ſed inquilinum in Domo ſua videntes honorem, ut aliò diverteret, ſpontè eum dimiſêre. Vel Africani generoſam exiſtimantur imbibiſſe mentem: quippè digniſſimo huic Patriæ ſuæ Civi, cùm populus Romanus pro meritis magnis decreverunt in Comitio, in Roſtris, in Curia, in ipſa deniq; Iovis cella, ſtatuas ponere, Imaginem ejus triumphali apparatu indutam, Capitolinis applicare pulvinaribus, & perpetuum per Vitæ annos Conſulatum, continuamq́; Dictaturam tribuêre, ille tantùm ſe in recuſandis Honoribus geſſit, quantùm geſſerat in promerendis! eadem mens generoſa TARŁONIBVS ineſt; merita non ampliſſimos curant Honores! hinc ſufficit illis ad dignitates, non ut earum comprehenſores fiant, ſed ut illis digni exiſtant, & arbitriò Orbis judicentur. Sed quis calamus *Illuſtriſſimæ* TARŁOVIANÆ *Domûs* amplitudinem, digniſſimis Hectoribus, Agamemnonibus, Virtutis gloriæ, & laborum magnitudine exuberantem, ad certum reducere poteſt calculum? Numerus TARŁONVM, numerus

Stel-

Stellarum est, qui Cælo non folio comprehendi potest. Multos hic TARŁONES solo veneratur silentiô penna, quos vel Sacra Deorum templa thure redolentibus dicârunt Aris, vel Mars Polonus duris belli exercet negotijs. Parvos prætereo Achilles, in suorum Patrum adhuc ludentes Aulis Ascanios, spem certam & minimè dubium ornamentum, Ecclesiæ, Patriæ, Domûs, dignioribus celebrandos penna relinquit Maronibus. Fateor in hac exigua opella mea, ipsa me TARŁONVM multitudine vinci, Majestate splendoris eorum obrui, ut incultô assumpti negotij calamô tacitus hæream, & augusti honoris gloriam, tumq; excelsas Curules, quas *Architecta* gloriæ & honoris *Ascia* fabricavit, ac demum Trabeas lucidissimas, non aliter, quàm velatâ oculi pupillâ possim admirari.

Interim fumosis Avorum, Proavorumq; Tuorum plena Imaginibus, Avitis fulta triũphis, Atria Tua Paterna, vili laudator præconio & magno vanitatis nihilo, Orbi videnda monstravit, nunc Ducalia Polonæ Corneliæ in Te Vno *Præsul Illustrißime*, non Vnum Gracchum innumeris circumfusum Virtutibus, Sarmatico proferentis Polô, spectatissima, inquam Tuæ dulcissimæ Genitricis limina, justo venerari cultu, & æquitas poscit, & ratio persvadet. Non exiguum felicitatis argumentum est, præclaris & optimis Parentibus nasci; sæpè etenim ut nefanda vitia, ita Virtutes eximias filij cum lacte bibunt materno, moribusq; suis, quos de uberibus suxêre, genitrices suas imitantur. Illustrissimum Te *Præsul Meritißime* appellamus: talem Te honor Præsuleus & Virtus Tibi conjuncta invenerunt. Ex

 ea

ea Materna in mundum feliciſſimè prodijſti Familia, ex qua Ioves quoq; naſci poſſent, quàm innumeri circumſtant ſplendores, in qua quot Cælo ſidera micantia, tot primæ magnitudinis luminaria, & prima Poli Sarmatici Capita numerantur. Evolent ex abditis Domûs ſuæ privatæ antris, in publicum honorum Solem alij, Tu ad titulos Illuſtriſſimos cum nativo viſus jubare, ad Trabeas Senatorias, in Trabeis Senatorijs natus, Purpuram quam geris, adhuc in infantilibus Cunis, cum Principum Mitris, Ducum Clavis, Præſulum Tiaris, Mareſchalcorum Scipionibus, alijſq; inſignibus, à Matre Tibi impoſitam inveniſti. Magnam Domûs Vetuſtiſſimæ CZARTORYSCIORVM Familiam quis non videt? quis non miratur? cujus ſi antiquitatem revolvimus, tot elapſa ſecula numerat, ſi titulos poſcimus, pleni ſunt ejus numeroſo Conſule faſti, ſi ſcientiam & pietatem deſideramus, Sapientia CZARTORYSCIORVM vim ſemper permovet inſitam, & eorum pectora recti cultûs roborant. Nunquam in ea ſancti defecêre mores, nunquam dedecorârunt benè natos culpæ. Fert animus Aviam Tuam ISABELLAM KORECKA contemplari, innatæ prudentiæ, pietatisq; venerandum illa ſimulacrum, quas laudum non poſcit Apotheoſes? quàm invicto animô Clæliam Romanam, vel Amazonem Marti Polono, ſemper de hoſtibus triumphanti, reportatarum Victoriarum acervo, omnibus ſeculis glorioſo, connubiales aſſociavêre tædæ. Mater Tua ANNA ex Ducibus CZARTORYSCIORVM prognata, devotione antiquæ legis Prophetiſſæ, ſui Nominis

non

non cedens, animô masculô Camilla, corporis venustate Græca Helena, morum elegantiâ Venusina, omnem genti suæ præclaræ aggregavit honorem. Satis illa gratiosa, satis fæcunda, quæ cùm Ecclesiæ DEI BARTHOLOMÆVM Posnaniensem Episcopum, Regno & Reipublicæ NICOLAVM Pincernam M. Ducatûs Lithvaniæ, CASIMIRVM Capitaneum Gostinensem *Fratres Tuos* germanos genuit: in Te quoq; *Præsul Dignissime* Vigilantissimum Fidei Orthodoxæ Antistitem, Patriæ meritissimum Senatorem, Domui suæ inæstimabile Decus, deniq; toti Polono Orbi, gratias in Vno protulit omnes. Ebur candefacere atramentô vellem, si CZARTORYSCIOS Principes omniū dignitatum subsellia replentes enumerare voluerim: sufficit annotare nullum dari honoris gradum, quem CZARTORYSCII Principes Gentilitio suo Pegasô nō adirent: quia nulla datur Virtus, quam ijdem non attingerēt. Quis tam potens eloquiô Hypperides est? ut Heroicam *Janussij* dexteritatem, dignô laudis celebret cothurno! quam sicut ubiq; & omni tempore, ita in arduo belli Ruthenici opere, palam Gentibus & Regno monstravit. Adhuc GEORGIO obligatur *Livovia*, cujus Victrici mucrone, ad obsequium Principibus Polonis præstandum compulsa illum Victorem suum laudatissimum deprædicat. Martem ipsum bella gessisse existimârunt Sarmatæ ANDREAM, qui ut Regnum metui & & periculo eriperet, apertissimis sese objicere periculis minimè metuebat, vulnera, imò ipsam mortem pro Patria appetendo. Quanta debuit reperiri Virtus in CASIMIRO FLORIANO CZAR-

TORYSKI, Regni Primate Primo Principe, & Archiepiſcopo Gneſnenſi. Aureum illius Caput non una exambivit Pontificia Tiara, aſt nulla dignè coronare potuit. Poſnanienſis Vitta, primò hunc Sacrum redimivit Verticem, ſubſeqvuta Vladislavienſis, utraq; hæc cedere debuerat Primatiali dignitati. MICHAEL CZARTORYSKI de Palatino Wołhyniæ, Sandomirienſis Palatinus factus, docuit Orbem ſecurum eſſe ad Honores iter, per gradus multos Virtutum. Ob meritorum excellentiam, primum fuit Wołhyniæ Caput, Palatinatûs illius Magiſtratum gerendo NICOLAVS CZARTORYSKI; hic gravi bellorum pondere fatigatæ Patriæ, non reſponſa, ſed Phæbi Oracula dabat. Invida fatorum malevolentia, *Illuſtriſſimos olim* SAMVELEM & ANTONIVM CZARTORYSCIOS germanos Fratres, Lechici hæc ſidera magna Poli extinxit, acerbum tamen ex morte ipſorum Patriæ temperat dolorem, *Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dñus* IOSEPHVS CZARTORYSKI, Dux *in Korec & Olexiniec*, Supremus M. Ducatûs Lithvan: Vexillifer. Faxint boni Superi! ut ex præſentiſſimo vultu illius Sarmatia noſtra, indefficiens gaudiorum ſuorum capiat incrementum.

Auguſtam Illuſtriſſimæ Domûs Tuæ *Præſul Digniſſime* Majeſtatem, quam tot admota Cælo Avorum, Atavorumq; Tuorum effecêre Nomina; etiã Principes in Orbe noſtro Sarmatico Proſapiæ, indiſſolubili TARŁONIBVS Cognationis, Affinitatisq; agglutinatæ nexu, eandem augent in immenſum. Tam familiaris primis Familijs TARŁONIANA *Aſcia* eſt, ut eam innumeræ, ampliſ-

ſimo

ſimo ſuo ſinu complectantur, affectu amantiſſimo proſeqvantur, & inter clariſſima Domûs ſuæ inſignia, jam artificioſo Protogenis depingant penicillô, jam ingenioſo Policleti inſculpant inſtrumento. Qui Cognatas Affinesq; TARŁONIBVS in Regno Poloniæ, diligenti mente revolvit Familias, hic judiciô ſuo comprobat TARŁONES, inter ſuos Cognatos ipſum poſſe referre Iovem: imò ita eſt: qui TARŁONES, rerum Polonarum Statori, Sarmatico Herculi, glorioſiſſimo Odryſiæ Lunæ Triumphatori, Regum feliciſſimo IOANNI III. proximo ſangvinis nexu conjunctos advertit.

Quanta TARŁONIANÆ *Aſciæ* gloria eſt; Solio Regum admoveri, à tanto Sole illuminari, invicto SOBIESCIORVM Vmboni aſſociari. Satis abundè nativis reſplenduit ſplendoribus *Aſcia*, majori lumine cincta, cùm eam aureum Cynthiæ WISNIOWIECCIORVM jubar irradiavit. Non ſuffecerat ad gloriæ perennis augem *Aſciæ*, vel coronatam incedere, vel ſupra ipſas Coronas eminere, Duces *in Oſtrog & Zbaraz*, eandem Ducalibus Mitris exornavêre! ut & ſecures ſine Coronis, & Mitræ, Coronæq; non ſine ſecuribus propter ſecuritatem exiſterent. Timuerunt nè barbaris manibus cederent in prædam & captivationem, quare tanto ſe præſidio munivêre. Victorioſi Obeliſci Regio Diademate (ut quondam LESCO II. Principatum in Polonia prætendenti) adornati, ſint alijs meta? animoſo CZARTORYSCIORVM Eqviti *Aſcia*, omnium dignitatum in ſe complectens decora, pro Herculea ſtetit Columna. Hæros CZARTORYSCIORVM magnanimus, ful-

genti caſſide, ferrea loricâ, infractoq; licet tectus fuerit Ancili, TARŁONIANA adhuc voluit armari *Aſciâ*, ut contrà audentior iret, adverſaq; hoſtium caſtra, ſecurior involaret. Ex lunato arcu pulſæ aligeræ SAPIECHARVM & DZIAŁYNSCIORVM *Sagittæ*, Cælum ſidereum petere edoctæ *Aſciam* pro velociſſimi ſui curſus ſcopo poſuêre, nec mirum! decus omne ſtellati Olympi in ea prævidere. Ignivomus LANCKORONSCIORVM *Leo*, alibi ferventes iras, in TARŁONIANA Domo tædas nonniſi illaſq; accendit jugales, & ſuo flammigero ore TARŁONIBVS ignes excitat triumphales. In exſtruendo gloriæ immortalis Capitolio, quomodo fortunata dici non debet *Aſcia*? quam trina POTOCCIORVM *Crux* ſignavit; nec hoſtis, nec Erebi metuit inſidias, tam infracto benè munita præſidiô. Non omnis fluvius fert ſecures! *Szreniava* LVBOMIRSCIANVS *Aſciam* portat TARŁONIANAM! quanti eam æſtimet? vel inde colligere licet, quòd non tam aurifero Pactolo vel gemmifero Hydaſpi, quàm TARŁONVM amat conjungi *Aſciæ*, feliciſſimo alveô, in ejus pervetuſtam Domum influendo. Omnia in Domum hanc benefica ſua manu, congeſſiſſe debuit fortuna munera, cùm & florigera Chloris, ſpecioſi Veris ei intulit ornamenta, eam purpureo SZEMBECCIANARVM *Roſarum* Ternione exornando. Heroum Patriæ, Semideorumq; oneraria OPALENSCIORVM *Argos*, aureum intra ſe portare viſa eſt vellus, *Aſciam* hanc intra ſui penetralia recondendo affectus, & ad fortunatum nobiliſſimi ſui ſangvinis vehendo promontorium. Non

ſic

ſic remotas pervagantia Oras terrarum fluenta, veloci curſu, in amplum Nerei properant pontum, ut primæ in Septemtrione noſtro Lechico Familiæ in Illuſtriſſimam TARŁONVM agmine vaſto agglomerantur Domum. Ad hanc ZAMOYSCII, OGINSCII, WIELOPOLSCII, CHODKIEWICII, BRANICCII, PRAZMOVII, CHOMENTOVII, TARNOVII, ZBOROVII, FIRLEI, LIGEZÆ, CIECISZEWSCII, CZERMIENSCII, ZALEYSCII, PODOWSCII, alijq; ſexcenti, jam per connubialia fœdera, jam per uſitatam Cognationis Affinitatisq; viam procedentes, ſibi ſedem in ea fixerunt exoptatam.

Poſt tam longam Magnorum Tuorum Prædeceſſorum ſeriem, Tu tandem *Illuſtriſſime, Excellentiſſime & Reverendiſſime Domine* IOANNES *de Czekarzowice* TARŁO, *Epiſcope Kijovienſis*, in profundam Magni Nominis & Virtutum Tuarum eximiarum Venerationem, non ſegni provolantem paſſu pennam provocas ac excitas. Ad metam & terminum properans Oratio, Te ultimò aggredi, & Tuam Pontificiam exoſculari fimbriam propoſuit, ut in Te Idæam omnium TARŁONVM veneretur, & talem à cunctis videndum, amandum, colendum, ſpatioſo Orbi exhibeat. Tantos *Illuſtriſſimæ Domûs Tuæ* ſplendores, non ideò per tantam laudatiſſimorum Aboriginum congeriem porrectos recepiſti, ut illis in facie Arctoi Orbis inclareſceres, ſed ut traditum Tibi, hoc lumen magnis meritis augeres, auctum Tuis Poſteris ad exemplar & perpetuam imitationem dares, relinqueres. Etſi ob innatam Tibi humilitatem Cognomen Tuum negaveris,

Doctrina, Pietas, boni publici amor, indefessus Divini honoris zelus, Te TARŁONEM probarēt. Hæc quippè pretiosa Virtutum egregiarum Cymelia, Domus TARŁONVM dos hæreditaria est, hæc Cresi vel Mydæ opibus præstantiores divitiæ, in gazophylacio Antiquissimæ hujus Familiæ, à tot seculis locatæ, depositæ. Illas custodire, custoditis oblectari, Tua mentis magnanimæ, & candidi pectoris præcipua occupatio est. Ad Sacri undas lavacri Præcursoris Dñi, IOANNIS Nomen, non inani omine adeptus, in id maturas vertis cogitationes, ut Nomini, Virtutibus respondeas. Strangulati in infantilibus cunabulis, parva teneri adhuc Alcidæ manu angves, Erymantheis apris, & formidabilibus Centauris horrorem quendam incussere? Te infernalis Hydra adhuc vagientem pusionem cepit metuere, in Te Baptismum Pænitentiæ deprædicaturum admirata IOANNEM. Quidni metuêre deberet? cùm in Te redivivam Præcursoris Domini imaginem sperabat. Tutelaris Tuus Divinissimus, nè levi posset maculare crimine vitam, Civium turmas fugiens, tenebrosi petijt antra deserti! Tu juventam Tuam omnis boni capacissimam, ut tersissimam redderes ad innocuas Musas Parnassium petendo nemus, properâsti, ut Castalijs fontibus, omnibus aptissimum literis animum lavares. Resplenduit in Te auricomus omnigenæ Sapientiæ splendor! Taceo de inferioribus scientijs, cùm per has ad altiores ascendere, Tui animi speciosa semper & pretiosa quærentis, indefessus conatus semper extiterit. Ex spinis Logicalibus, vernantis honoris & emeritæ

lau-

laudis Tibi nectebas, parabasq; Coronas, quibus ne unquam marcescerent, vigorem Eurippus dabat Aristotelicus. Naturæ Secretarium Te communis appellabat fama, cùm de rebus discurrendo creatis, abscondita à multis illarum arcana, excultissima sagacissimæ mentis Tuæ acie indagasti, penetrâsti, adaperuisti. A naturalibus tandem ad supernaturalia, à sensibilibus ad intelligibilia, felici processisti passu, & finitis humanioribus scientijs, Divinas tractare cepisti, illi mentem Tuam consecrãdo Doctrinæ, quæ nihil profanum, omne sacrum, omne Divinum amplectitur. Theosophum in Te efformans eruditum, ita de Visione DEI agebas, ut eum semper præ oculis haberes! de Angelis scribens, vitâ & moribus Angelus fuisti! de Peccatis benè Tractatum tractasti, nè illis Divinum Numẽ malè tractares! de Virtutibus Doctrinam maximè amasti, quam toto vitæ tractu observas, Docta, cùm fueris eruditæ Palladis progenies, æquo pollice cuncta vibrantem adamasti Astræam, verus illius Cultor, nam & ex asse illius sancitorum justus Defensor. Cæleste hoc Numen, gemmeo respersam sudore frontem Tuam, non absq; digno manere voluit coronamento! gemina in Iure Vtroq; eam præcinxit & ornavit Lauru; ut in Te acerrimum Æqvitatis Custodem & Propugnatorem nancisceretur. Sceptrigera Cracij Heliconis Pallas, doctis Capitibus, quarto jam seculo, immarcescibiles impertiens Laurus, frontem Tuam eruditam mille dignam Coronis, viridi Divæ Themidos exornavit Corymbo, ut benè eidem Pontificiæ adhærerent Tiaræ. Noluisti sub exotico Sole, sed in Pa-

trio tantùm solò, hæc doctarum quærere præmia frontium, quibus conspicuus Cracij Parnassi vertex abundans, ut & terris, & Cælo arrideat, eas non Candidatis ad Infulas tantùm, sed & Candidatis ab beatam illam Regionem impertitur, ut cùm ijs ad Thronum Immaculati Agni compareant. Apollineo redimitum Sertô Caput Tuum, & ternæ quoq; aureæ exambivêre Coronæ, Sacro *Perangusti Capituli Cracoviensis* annumeratus Collegio, gemma annulo, sidus Cælo insereris, & lucerna Virtutum lumine ardens, aureo Ecclesiæ hujus imponeris Candelabro. Quærant alij titulos, non quærantur ab illis; alij ut emineant, per collaterales lineas suffragia venentur, hæc amplissima Domi Tuæ parata, Te ad summum Culmen honorum, sublimare contendunt. Omnium applaudentibus Votis *Archidiaconus Cracoviensis* proclamaris. Oculus sis Amplissimæ Diœceseos, ipse elegantissimarum mentium pupilla. Non tam à recepto Magistratu ornaris, quàm magìs collatum honorem Te ipso ornas. Templa Dijs Sacrata, quo animô? quâ solicitudine? quô labore visitas? effectus testimonium præbeat. Iuppiter Omnipotens, semel tantùm in Mydæ avari laribus hospes Visitator, domum quam incoluit, auream effecit? Tu in Parochialium Ecclesiarum visitatione, tot annos emẽsus, quoties eas visitâsti, toties aureas effecisti, Spiritu Domini plenus, antiquarum legum rigorem & vigorem, in illis conservando, Cultum Superûm promovendo, cuncta in pietate, DEI & proximi charitate, solidando. Vt Vinea CHRISTI & multis, & doctis abundaret operarijs; diligenti atten-

tendis animo: neminem ad Sacros Ritus accedere vis, quem morum elegantiâ, innocentis vitæ probitate, & doctrinæ tandem sufficientis decore circumornatum non videas. Super Tribunali Iustitiæ Sacræ sedens multoties *Judex Surrogatus*, semper DEVM præ oculis habes: tam æquitati adglutinatus manes, ut ab ea non te personarum dignitas, non causæ faventium ratio, unquam avellere possint. Areopagum Tuum solæ Virtutes amant, vitia formidant, justam Nemesim certò à Te expectantia. Et cùm sis detestandis tam metuendus sceleribus, nulli non amabilis esse videris: procul à Te arrogantia omnis, procul fastuosæ mentis elatio, procul animi perversi dolus, omnibus Te affabilem, candidum, accessibilem exhibes. Tantis Virtutibus eminens, ferventi in Superos pietate eminentissimus esse censeris. Nil Tuo animo Cælestibus rebus immerso, magis jucundum & acceptabile est, quàm dies, horas, imò momenta Vitæ Tuæ Divinis consecrare rebus, & devota mente in terris, supernis occupari negotijs.

Hac amplissima Virtutum Apiâ ad Sacrum ac Nobile Pontificij Honoris Palanteum hodie advenisti. Recipis bicornem Infulam, & Pastorale pedum, actionum immortalium & excellentium meritorum Tuorum luculenta testimonia. In Templum Præsulei Honoris, omnis sanctitatis, pietatis, justitiæ, Sacrarium ascendis, non laureatos fasces, non opima ex hostibus devictis spolia ambitiosè ostentans, sed heroicis rectefactis circumfulgẽs. Progrederis felici passu, ad culmen destinatæ Tibi ab Alto dignitatis, non albescentibus vectus quadri-

gis, ſed bonis honorificè Te proſequentibus Votis & acclamationibus. Adeſt ad Tui triumphi hodierni pompam Divus ADALBERTVS Martyr, intra ſui ſolemnia Feſti gaudet *Archipræſul* novo Antiſtite, Primas Regni, novo Senatore, in Te adauctus. Cruce quam manu geſtat, ſuam Tibi NeoPontifici impertitur benedictionem, remis ſacro ſuo tinctis cruore, ad optatum dignitatum promontorium, fauſtum navigium pollicetur. Ad Tuæ felicitatis auctoramentum Tiaratum aſſurgit Caput, (*Celſiſsimus, Illuſtriſsimus & Reverendiſsimus Dominus* CASIMIRVS à Łubna ŁVBIENSKI, *Epiſcopus Cracovienſis*, & qui Tua tempora liliatis ſuis manibus, primâ *Kijovienſi* coronat Vittâ, primas Tibi in Regno Infulas candido precari pectore non deſinit. Purpureum Tibi ſpondent ad altiora iter, gratum ſemper Patriæ ſpirantes odorem SZEMBECCIANÆ *Roſæ*. Adaugent Tui Solemnia honoris, *Ternæ Peraugusti Vavelli Coronæ*, & Te cingentes, licèt magnopere doleant, Te gemma inæſtimabili privari, feſtivas tamen in gratulationem ingeminare voces non negligunt. Approperat feſtino paſſu etiam per meum ſuum Canonicum *Cathedra Diœceſis Kijovienſis*, & cùm in Te ſibi tantum Præſulem gratulatur, in ſpes erigit animum meliores, quòd ſub Te Vigilantiſſimo Sacrorum Præſide, Divorum Aris, & Clero priſtinus honos redibit. Circumſtat Te tam ornatiſſima, quàm numeroſiſſima Illuſtriſſimi Sangvinis Tui, Conſangvineorum, Affinium, Amicorum caterva, & ſicut amantia pectora, in feſtiva tripudia laxant, ita fortunatis ut abundes ſucceſſibus precantur. Ea debitæ Venerationis & gratulationis

ne-

necessitudine obstricta Illustrissimo Nomini Tuo Grandæva illibatæ Fidei Mater, Studiorum Regni operosa Magistra, Alma Vniversitas Cracoviensis, in hoc Tui Honoris Festo, ut Tibi obviam it, ita laureatos Tibi submittens fasces, in festivas solvit ora acclamationes, ingeminans; Præsulum gemma, Cultor literarum, & literatorum, Pastor zelô DEI, flagrans *Vive diu felix.* Non ancipiti illa spe, fortunam suam metitur, certa existens, quòd Tu Omnipotentis DEI dexterâ in sublime Honoris cùm eveharis Apogæum, eam insigni & præclara authoritate Tua, ab ingruentibus casibus illæsam fovebis, conservabis. Illa quantum studium, quàmq; fidele Patrocinium, in tuenda sua dignitate experietur, tantùm ardentibus votis & pijs supplicationibus, apud Divinum Numen, & Aras Divorum suorum Tutelarium adlaborabit; ut Tua Gentilitia *Ascia*, quàm diutissimè, vel in perpetuum nuncupetur,

Gloriæ & Honoris

Architecta.